

Habui me aequa bene, ac alias, sanus fui, nec in visu quidquam mutatum adverti.

Hoc enim symptoma in cane mihi erat suspectum.

Iis tamen diebus, quibus hoc assumfi, alvus erat liberior, & appetitus longe major.

Cum per octiduum hoc tentaverim sine ulla noxa, credidi, & illud ægris exhibendum esse.

Verumtamen iis tantum in casibus, ubi reliqua medicamenta, non prodefsent.

Brevi se se obtulit casus sequens.

EXPERIMENTUM I.

Foemina 37. annor., jam ultra fere qui annum diris convulsionibus vexabatur.

Hæ

Hæ autem convulsiones nequaquam totum corpus occuparunt, verum vagæ erant, & jam pectus, jam venter, jam pedes, jam brachia &c. inde afficiebantur.

Ingentes dolores passa est ægra, vires penitus prostratæ sunt, & appetitus delectus, nec unquam dormire potuit; subinde vomuit copiosam bilem, æruginosam.

Dum convulsiones ventris inferiora occuparunt, tunc ani sphincter adeo fortiter contrahebatur, ut nullo molimine canula pro clysmate introduci potuerit, & tunc quoque urina fiebat stran-
guriosa, & aderat perpetuus ac summe dolens alvi tenesmus.

Remedia, & a veteribus, & ab ho-
diernis commendata, multisque expe-
rien-

rientiis contra convulsiones probata, in
hac ægra fuerunt sine ulla efficacia.

Solum opium, idque magna dosi,
paroxysmos mitigavit, sopivit dolores,
nervorumque motus *convulsivos* tan-
dem compescuit; nec tamen impedivit,
ne idem malum brevi iterum rediret,
præterea fæces retardavit, alvumque
adeo strictam reddidit, ut nec enemata
quidquam potuerint educere.

Cognita igitur remedia, cum in hac
ægra adhibebantur incassum, dedi Hyo-
sciami extractum.

Sumpsit ægra granum unum tempore
matutino, alterum hora ante prandium,
& tertium vesperi.

Spatio quatuor dierum advertit ap-
petitum redire, alvum esse liberiorem,
neque paroxysmos amplius tanta vio-
lentia sævire. C Do-

Dofin igitur auxi, & exhibui ter de die duo grana extracti Hyosciami.

Libera dein fuit per septem dies ab omni convulsione, appetiit, alvusque prodiit sponte copiosa, pultacea, somnus erat tranquillus, reficiens.

Octavo die leves tantum insultus habuit in ventre, & pedibus; hi autem opio brevi supprimebantur.

Dedi dein novem hujus extracti grana per diem, alvus inde manebat aperta, & appetitus satis bonus.

Continuavi hac dosi per binos menses, & cum nullum advertebatur convulsionis signum, tandem ab ulteriori usu destiti.

EXPERIMENTUM II.

Virgo, 24. annor., a quinque septimanis in pede dextro tremorem

con-